



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 92. Erarldus seu Erardus de Marca a Leone X. Cardinalis creatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

no iusta perfolvit. Interea Gazelles Sy-  
riæ Præfectus, olim ex Ducibus Sultani  
Ægyptii unus, cum percepisset mortem  
Selimi, seditionem concitavit, magnam-  
que Ægypti partem ad sua studia pertra-  
xit, verum a Solimano apud Damascum  
cum Mammaluchorum reliquiis ipsi ad-  
hærentibus prælio cæsus est; sic Soli-  
manus, cum pactis cum Ismaale Persa-  
rum Rege induciis nullum alium in A-  
sia haberet hostem, totus in eo erat, ut  
arma in Christianos converteret, prout  
mox perspiciemus.

## S. XCII.

*Eraldus seu Erardus de Marca a  
Leone X. Cardinalis  
creatus.*

Cum Carolus V. cunctis, qui quovis pa-  
cto ad suam electionem concurre-  
bant, grati animi signa dare, eosque be-  
neficiis cumulare summopere conaretur,  
haud oblitus erat Eradi de Marca natio-  
ne Germani, cui luculentum gratitudinis  
sue argumentum exhibebat; Præter-  
quam enim, quod eum Valentia in Hi-  
spania Archiepiscopum nominaret, tan-  
tum auctoritate sua apud Leonem X. ef-  
fecit, ut hic illum, eumque unicum hoc  
anno Cardinalium Collegio adscriberet,  
adjecto titulo Ecclesiae ad S. Chryso-  
num.

*Ciccon. in  
Leon. X. to. 3  
Chaypeauvil.  
de Episc.  
Leod.  
Mem. du  
Bellai liv. x.*

Sæcul. XVI. num. Jam anno Christi millesimo quingentesimo quinto Erardus Leodiensem regebat Ecclesiam, eodemque tempore plura, eaque salutaria prorsus statuta in quadam Synodo promulgabat; ubi vero postea Gallorum partibus accesserat, Carnutensis Episcopus renunciabatur, pluribus gratiis a Ludovico XII. & Francisco I. auctus. Verum ambitione ductus, Anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo Cæsari sua studia devovit, cui etiam inviolata fide addictus permansit. Nuncupatur a nonnullis Scriptoribus *Cardinalis Buillonæus*, eo quod filius esset Roberti I. Buillonæi Ducis, ac Sedani Principis.

## §. XCIII.

*Hyppolitus Cardinalis Estensis præter plures alios mortuus.*

Equidem Sacrum Purpuratorum Collegium Erardi electione augebatur; ast hoc eodem anno quatuor aliorum iacturam fecit. Hos inter primus erat Hyppolitus Estensis, Strigoniensis, Capuanus, Mediolanensis, ac Narbonnensis Archiepiscopus. Is erat Filius Herculis Estensis Ferrariæ Ducis. Puer adhuc octo aut novem annorum Joannis de Aragonia avunculi sui studio ad Strigoniensem Archiepiscopatum vocatus, aliquos

*Ciacon. in  
Alex. VI.  
p. 176.*

*Guic. hist.  
Card.*